

SULPICIA

ELEGIDIA (40 vers)

- S_1 v.1 Tandem venit amor, qualem texisse pudori
 2 quam nudasse alicui sit mihi fama magis.
 3 Exorata meis illum Cytherea Camenis
 4 adtulit in nostrum deposuitque sinum.
 5 Exsolvit promissa Venus : mea gaudia narret,
 6 dicetur siquis non habuisse sua.
 7 Non ego signatis quicquam mandare tabellis,
 8 ne legat id nemo quam meus ante, velim,
 9 sed peccasse juvat, voltus componere famae
 10 taedet : cum digno digna fuisse ferar.
- S_2 v.1 Invisus natalis adest, qui rure molesto
 2 et sine Cerintho tristis agendus erit.
 3 Dulcius urbe quid est ? An villa sit apta puellae
 4 atque Arretino frigidus amnis agro ?
 5 Jam, nimium Messalla mei studiose, quiescas,
 6 heu tempestivae, saeve propinque, viae !
 7 Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
 8 arbitrio quamvis non sinis esse meo.
- S_3 v.1 Scis iter ex animo sublatum triste puellae ?
 2 Natali Romae jam licet esse suo.
 3 Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
 4 qui nec opinanti nunc tibi forte venit.
- S_4 v.1 Gratum est, securus multum quod jam tibi de me
 2 permittis, subito ne male inepta cadam.
 3 Sit tibi cura togae potior pressumque quasillo
 4 scortum quam Servi filia Sulpicia :
 5 solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est,
 6 ne cedam ignoto, maxima causa, toro.
- S_5 v.1 Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae,
 2 quod mea nunc vexat corpora fessa calor ?
 3 A ego non aliter tristes evincere morbos
 4 optarim, quam te si quoque velle putem.
 5 At mihi quid prosit morbos evincere, si tu
 6 nostra potes lento pectore ferre mala ?

S_6 v.1 Ne tibi, mea lux, aequae jam fevida cura
 2 ac videor paucos ante fuisse dies,
 3 si quicquam tota commisi stulta juventa
 4 cujus me fatear paenituisse magis,
 5 hesternam quam te solum quod nocte reliqui,
 6 ardorem cupiens dissimulare meum.